# QUÆSTIONES HORATIANÆ.

*Fasciculus primus.*

Scripsit Fr. OEBEKE, phil. doct. ord. sup. mag.

»Quotusquisque est poetarum antiquorum, qui tantam argumentorum, quibus legentium »animi facile teneantur, præbeat copiam, quantam lyricorum Latinorum princeps Ho»ratius. Fit enim, nescio quo pacto, hoc ipso, quod omnibus fere est notissimus, ut, quo »majorem cum eo familiaritatem contraxeris, eo plures appareant loci, quibus clariorem »velis lucem afferri : non quod verba difficilia sint ad intelligendum, sed ut poetam et »homines ejus ætatis, qui ipsius maxime admonitu antiquitatis mediocriter quoque »peritos advertere et afficere cœperunt, ex una alterave parte accuratius cognoscas.« Quod Ph. Buttmanni, viri de literis optime meriti, dictum, a quo initium sumit explanandi Horatii carmen 12. libri I. v. Mytholog. vol. I. pag. 26, quum sit verissimum : ingenue simul profiteri nobis e re esse videtur, quicunque Horatii carmina diligentius pertractaverit, eum continuo in plurimos incursurum esse locos, qui sive meliorem requirant interpretationem sive emendationem. Neque ii in longioribus solum inveniuntur satiris et epistolis, sed in brevioribus etiam carminibus lyricis. Quam rem jam multi olim docti moleste tulerunt : ut alios taceam, audiamus Marklandium, qui in epistola, adjecta editis a se Supplicibus Euripideis hæc queritur : »In Horatio post omnia, quæ in eum »scripta vidi, innumera sunt, quæ non intelligo. In toto opere vix una est ode, sermo vel epistola, in quibus hoc non sentio, dum lego.« Res sane mira, quum præsertim hic poeta is sit, qui et vivus vigensque statim apud æquales summam consecutus sit famæ celebritatem, ita ut gloriari ipse fidenter posset Od. IV. 2. 13-15.

Romæ, principis urbium
Dignatur suboles inter amabiles
Vatum me ponere choros,
*et ib.* 22. — Monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ;

et quem certatim deinde »nocturna versarint manu, versarint diurna« et edidicerint pueri virique non apud Romanos tantum, quamdiu eorum statit res publica, sed etiam barbaræ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deinceps gentes, quas non arma magis quam literæ Latinæ domuerunt: id quod animo jam ipse præviderat ac præsenserat vaticinans Od. II. 20. 17 sq.

Ne Colchus et, qui dissimulat metum
Marsæ cohortis, Dacus et ultimi
Noscent Geloni, me peritus
Discet Iber Rhodanique potor.

Veruntamen eximit rem miraculo ars summa perfectaque, qua unus eminet Horatius, et rerum, quas attingit, obscuritas partim ac varietas, et sententiarum ubertas atque sublimitas et dictionis tum audacia tum novitas. Facile est enim videre, quanto raræ hæ scriptoris virtutes ipsæ ingeniis angustis et obtusis fuerint impedimento, quo minus recte, quæ vellet, perciperent, et quam sæpe periculum fuerit, ne homines parum docti pro veris falsa arriperent suppositaque pro nativis inculcarent. Carebat antiquitas tali, quali nos arte typographica reperta aucti sumus, firmo literarum præsidio. Itaque et Ciceronem legimus indignabundum incusare librariorum incuriam v. epist. ad Quintum fratrem III. 5. »De Latinis libris, quo me vertam, nescio: ita mendose et scribuntur et vereunt.« cf. ep. ad Att. XIII. 23, et Senecam de ira II. 26. »Irascimur aut his, a quibus nec accipere »injuriam potuimus, aut his, a quibus accipere potuimus. Ex prioribus quædam sine »sensu sunt: ut, librum, quem minutioribus literis scriptum sæpe projecimus et men»dosum, laceravimus.« Quos scribentium errores, communes tum omnibus vulgo libris, quanto frequentiores putabimus propter argumentorum formæque insolentiam atque ignorationem fuisse in Horatii carminibus? Porro nonne verisimile est, nonnulla quoque clam esse commutata a veteribus grammaticis, qui Quintiliano et Juvenale testibus Horatium in scholis legere solebant, quique id agebant, ut scriptores non explicarent modo pueris, sed etiam corrigerent. v. Sueton. de illustr. gramm. c. 24. »M. Valerius Probus multa »exemplaria emendare ac distinguere et annotare curavit, soli huic, nec ulli præterea »grammatices parti deditus.« Tum vero quid dicendum est de nocte quasi ista humanitatis, quæ ingruit medio ævo et per complura deinceps duravit sæcula, ubi literarum lumen pæne totum exstinctum est? Num credibile est, tanquam inveterata ista barbarie longe lateque dominante, hæc Venusini poetæ opuscula ab hominibus subhorridis tam religiose esse custodita, ut nihil in iis potuisset vitiari? Neque eo, quod, qui ad hanc diem innotuerunt, codices haud magnam præbent scripturæ varietatem, facile quis evincat, fidem eorum minime in dubium esse vocandam. Quum enim, quos habemus, codices sæculum decimum non excedant, carminum autem interpolationem jam ante et fieri potuisse et factam esse liqueat, subditicia videlicet quæ illis temporibus increbuerat, in iis exstat lectio. Quodsi confirmaretur etiam aliquando, — quod quidam viri docti voluerunt, neque tamen satis probarunt, — nostros codices omnes ex Agorii sive Mavortii exemplo ductos esse, qui Consul fuit a. p. Ch. 527; ne sic quidem effectum foret, vera ac integra Horatii

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verba nobis esse servata. Immo quum Mavortius ipse testetur, se adjuvante Felice grammatico Horatium emendasse indicio in extrema pagina adscripto : »Vettius Agorius Basilius »Mavortius — legi et, ut potui, emendavi conferente mihi Magistro Felice, oratore urbis Romæ« luce clarius docet, sua quidem ætate variam fuisse scripturam. Ergo nova hæc oritur quæstio, num eam judicii perspicaciam auresque tam teretes et tritas ipsi attribuendas esse censeamus, ut recte ubique dijudicare potuerit, quid ab Horatio profectum esset, quid non. Ego quidem persuasum habeo, nèminem fore, qui in ejus sententia acquiescendum esse putet. Quæ quum ita sint, in hoc quoque scriptore, quem ad modum in ceteris, ingeniosissimi quique viri nunquam hæsitaverunt, quin locis corruptis suum judicium adhiberent et sagaci investigatione vel divinatione quadam principalem lectionem reficere ac reparare conarentur. Cito unum instar omnium, magnum Bentlejum, cujus inauditam, qua multifariam Horatio manus attulit, audiciam horruerunt et horrent omnes, qui librorum manuscriptorum auctoritatem sacrosanctam habent. At quantopere ejus sive temeritas sive prudentia, quod foret mirum omnibus ejusmodi ingeniis tardis, eventu sit excusata et comprobata, scimus, quum, quæ sola conjectura ductus ille ante assecutus erat, in codicibus partim eadem postea sint inventa. Cujus rei locuples nobis testis est J. N. de Azara, in prooemio addito editis a Bodonio Horatii libris (v. Horatii opera ed. Fea, recens. Fr. H. Bothe, pag. XXX.) hæc narrans : »Contigit tamen, ut nonnullam conjec»turam, cui nondum auctoritas accesserat, nostrorum textuum fide confirmaremus. Cujus rei »ex pluribus locis exemplo sit, quod Bentlejus (Jan. Rutgersius potius) conjectavit de versu 15 »Od. XVI. Epod.« Itaque sperare licet fore ut idem accidat in aliis quoque emendationibus, si quando codices, qui supersunt, diligentius excutientur. Omnino tenendum est, parum certa in singulis verbis ea esse, quibus vulgo utimur carminum Horatianorum exempla. Qua de causa, quum optime ad rem faciat, quid Kirchner, vir eruditissimus, qui Horatii satiras emittere incepit, part. I. pag. LXXVII. nuper præmonuerit, libet proponere. »Niemandem kann es »deutlicher, als mir selbst einleuchten, wie weit dieser kritische Apparat noch von einer »wünschenswerthen Vollkommenheit, grofsen Theils wegen der bisherigen Nachläfsigkeit »der Herausgeber in der Benutzung der Handschriften entfernt sey. Kaum einige der »ältern Editoren, namentlich Theod. Pulmann (unter den neuern kann ich nur Jani »nennen) haben ihre Codices, die sie aber nicht charakterisiren, genauer verglichen; »alle übrigen, selbst Bentley nicht ausgenommen, haben ihre zum Theil vortrefflichen »Handschriften meistens höchst nachläfsig und nur an einzelnen Stellen, die ihnen gerade »interessant waren, verglichen, während sie uns an hundert andern, wo es darauf an»kommt, die Lesarten der Handschriften zu wissen, in Stiche lassen. — Wie achtungs»werth es immer ist, was Fea geleistet, und wie viel wir seinen Bemühungen, auch in »Benutzung mancher alten Editionen, verdanken; so ist doch darin nichts Ganzes und »Gediegenes, und nur hie und da ist für einzelne Stellen etwas gewonnen; selbst eine

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

»leidlich genaue Angabe und Distinction seiner zahlreichen Handschriften vermifst man. »Pottier ist vollends im Collationiren nachläfsig verfahren und hat wenig Neues gefördert. »Und doch ist nur solchen Männern, denen die Gunst der Verhältnisse es verstattet, eine »bedeutende Anzahl von alten, wichtigen Handschriften zu vergleichen, für die höhere »Kritik in dieser Hinsicht etwas zu leisten möglich, da die Anwendung von einigen »wenigen Manuscripten und Collationen, wie sie uns zu Theil ward, gerade bei unserm »Dichter, aus begreiflichen Gründen, nur im Kreise der niedern Kritik von einigem »Nutzen seyn kann; wenn gleich auch hier noch nicht wenige Stellen ihre Heilung aus »genauer Vergleichung guter Handschriften erwarten; *mehrere, deren Verderbnifs über »das Alter unserer Codices hinausgeht,* unheilbar seyn mögen.« Easdem fere querimonias jactat Fr. Jakobsius in lectionibus Venusinis XI. p. 237. — Ex his autem, quæ sunt exposita, satis puto apparet, Ph. Buttmannum nimis morosum esse ac falsa duci opinione, qui »*de rerum fide tectisque in Horatio significationibus*« disputans v. Mythol. vol. I. pag. 323 declaret, »abhorrere se ab emendationibus, quod rationibus idoneis quæque perspicuæ »sint iis, qui in percensendo Horatio elaboraverint, omnis fere emendatio, qua literæ »paulo violentius vel turbentur vel mutentur, anceps ac lubrica videatur et fortasse »prorsus interdicenda.« Immo enim verius dixisset, ut summæ obstent difficultates, tantum abesse, ut emendationes sint prohibendæ, ut carere iis non possimus. Mirifice etiam pugnat secum vir acutus ipse, quum in commentatione, quam inscripsit: Horaz und Nicht Horaz v. Mythol. vol. II. pag. 364 sq. velit obtinere, sex locos integros, ab aliis quoque partim varie tentatos, Od. I. 2. 9 — 12., III. 4. 69 — 72., III. 11. 17 — 21., III. 17. 2 — 5., IV. 4. 18 — 22., IV. 8. 17. aliena manu esse insertos.*) Ergo totis versibus strophisque etiam immixtis antiquissimis jam temporibus, quibus quidem hæc culpa imputanda esset, Horatii carmina interpolata esse largitur: simulque, quum tanta tamque insignia menda impune invecta sint, singula verba libidine aut errore tot sæculis corrumpi aut oblini potuisse, inconsulte sane negat.

Sed sufficiat ita strictim demonstrasse, emendationes in Horatio quoque suis locis utique ferendas esse. Neutiquam tamen adeo leves sumus atque inconsiderati, ut, ubicumque aliqua obscuritatis latebra adhibita in salebris hærere scriptor videatur, illico emendatio-

---

*) Alia præterea plurima quorundam fastidire criticorum stomachum, libro potissimum arguitur, qui his ipsis diebus ad manus meas pervenit. Hofmanus Peerlkampius enim, doctus Hollandus, in suo Horatii exemplo sexcentis locis tum singulos versus, tum integras strophas, complures etiam, modo ejicit, modo mutato ordine alias aliter disponit; ut novum plane nobis fingat Horatium, qui tamen vereor ne Hollandus magis videatur quam Romanus. Singulare id quidem opus et quod ingenium haud mediocre prodat multumque doctrinæ, sed pravum in carminibus constituendis judicium.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nem interponendam esse censeamus : hanc potius legem constanter servandam esse putamus, ut ista medicina tanquam ultimo ac desperatissimo utamur perfugio. Usu enim didicimus, locos plerosque difficiliores et quos corruptos vulgo habent, justa explicatione commode expediri : qua invenienda luculentius sæpe ingenii acumen doctrinæque excellentia cernitur, quam emendationibus in medium prolatis; et profecto multæ et rerum et verborum controversiæ nos nunc non torquerent, si vetustissimorum commentarii interpretum, C. Aemilii, J. Modesti, Terentii Mauri, ad nostram mansissent memoriam, quorum nomen ac fama tantum ad nos pervenit, libri interierunt. Quisquis autem et propriam Horatianorum carminum indolem multiplicesque animadverterit rationes, simulque secum reputaverit, qui viri quibusque temporibus ac instrumentis suum ad ea operam contulerint, is minime mirabitur, tam multa restare, quæ plena ac recta etiamnunc enodatione egeant. Ut enim plurimæ in illis omnibus fuerint literæ, aliis tamen defuit virtus ac vena poetica, ut neque ingenii nisum et impetum in Horatio comprehenderent, neque proinde sensa et cogitata ejus assequerentur; alii caruerunt ea mentis celeritate atque mobilitate, qua opus est, si quis varios animi motus et affectuum vicissitudines, quibus æstuant quodammodo hæc carmina, velit persentire; alii propter pectoris angustias non ceperunt divini hujus poetæ altos et magnificos de rebus humanis sensus minimeque observarunt ingenuam illam, non fucatam, simplicitatem verumque naturæ candorem, quas virtutes et in vita et in scriptis unice secutus est hic »Romanæ fidicen lyræ.« Quo magis est cur lætemur nobisque gratulemur, quod nostra ætate tot viri illustrissimi, et ingenii et doctrinæ laude florentes, quasi certantes inter se Horatii causam et patrocinium susceperunt. Licet haud dubie ex læto hoc ac pervulgato jam studio prosperos artibus ingenuis successus augurari; quo enim elogio Quintilianus inst. orat. X. 1. 112., de arte oratoria disserens, Ciceronem ornavit, haud scio an merito in Horatium quoque id transferatur : »Ille se profecisse sciat« in politiore præsertim humanitate, »cui Horatius »valde placebit.« Et nisi omnia me fallunt, explorata nobis spes affulget, fore ut difficultates, quæ reliquæ sunt, felicius vincamus, quam ii, qui ante nos vixerunt, quum parata olim subsidia largiter nobis pateant, et tot vanis opiniobus dispulsis libero tandem ac confirmato animo antiquitatis opera penitus possimus perscrutari. Itaque quum ego quoque hunc poetam in primis carum habeam vehementerque cupiam, ut scriptis ejus, quomodocunque fiat, bene consulatur, hac data occasione meam de locis nonnullis sententiam, in quibus expediendis novam ingrediendam esse viam mihi persuasi, proponere volui, ut si verum forte vidissem, aliorum commodis inservirem; sin minus, sollertiora certe ingenia ad investigandum excitarem.

---

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## I. *Od. I.* 3. 17. — Quem mortis timuit gradum?

Multum discrepant interpretes in definiendo hujus versus sensu. Alii enim gradum mortis significare affirmant genus mortis; alii mortis genitivum, quem vocant, objectivum esse contendunt, ergoque gradum mortis idem fere sonare ac viam ad mortem; alii poetice hic Mortem tanquam personam induci tenent, graduque Mortis notari ingressionem Mortis ipsam. At harum explicationum nulla paulo consideratius rem inspicienti probari potest. Nam qui gradum genere commutatum esse voluerunt, præpropero et potius nullo suo judicio in manifestum sunt inducti errorem, non animadvertentes, in morte ut in re simplici atque absoluta non esse gradus neque adscensus, et inde hoc vocabulo varia mortis genera prorsus non posse designari. Quodsi quis hanc causam interponat, ut dicat, morte exprimi simul ac comprehendi hoc loco mortis pericula vel dolores, quorum sint varietates et quidam quasi gradus, eum refellimus respondendo, talem licentiam nimis fore insolentem et perspicuitati plane contrariam, quum ita certe pluralis mortium ponendus fuisset, neque ullo ex omni Latinitate exemplo excusari. Hanc igitur explicationem falsam esse, apertissimum, et nonnisi imperitissimo cuique ea arridere potuit. — Expeditior multis illa altera ratio visa est, qua gradum mortis idem valere ac viam ad mortem sumitur. Verum monendum, sententiam ipsam ita esse jejuniorem et ultra quam licet prosaicæ orationis exilitate attenuatam. Quid enim? hoc poetæ accidisse putemus copiosissimo, ut in ipsa animi impavidi præclara illustratione, quam exorditur ab versa 9. »Illi vobur et æs triplex Circa pectus erat« etc., subito vires eum deficerent; et quum post ceteras formidines, summa cum evidentia descriptas, mortis etiam terribilem efficturus esset speciem, humilia modo ista ac vulgaria eum balbutivisse! Gradationem poscit locus : sic vero post præcipitem Africum et decertantes Aquilones, post tristes Hyadas et rabiem Noti, quam friget languida ista via mortis! Quamquam quid nubes et inania captamus? quid refutandis vanis commentis operam perdimus? Nam gradum unquam de via simpliciter usurpatum esse, omnino negandum est : tamen quum gradus cum aditu recte nonnunquam commutetur, ex similitudine factum est, ut ab hominibus parum intelligentibus confunderentur etiam via et gradus. At gradui, ubicunque illam, quæ valet hoc loco, vim habet, ea notio subjecta est, ut ad gradiens semper aliquod animal referatur et ejusdem fere cum accessu sit potestatis. Ita jam patet interpretationis insulsitas; hæc enim ex verbis emergit sententia : »Quem suum ipsius aditum ad mortem timet, qui etc.?« qua quid absurdius aut inanius excogitari possit, nescio. — Itaque quicunque aurificis statera aureum poetam, non populari quadam trutina examinabant, hos non fefellit, majus quid hoc loco ab eo esse fictum, Mortemque ipsam tanquam personam incedentem repræsentari. At dum illi ad unum omnes pervulgatam maxime gradus vim solam intuentur, qua idem fere sonat ac ingressus; ipsa verissime hac, quam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

animo conceperunt, Mortis adgredientis forma et imagine, aqua tamen hæret, ut ajunt; et ut misere se torqueant et multa temere effutiant, frustra explanare laborant, quid sibi voluerit Horatius variis istis Mortis gradibus, quos cogitavit dicendo : Quem Mortis timuit gradum? Nam distinguendo gradum incitatum a modico et lento, quid profeceris? Apparet, vario hoc appropinquandi modo Mortis terrores non admodum mutari vel augeri, ei præsertim, »qui siccis oculis monstra natantia, qui mare turgidum et infames »scopulos Acroceraunia vidit.« Sententia autem quum sit per interrogationem enunciata, hac ipsa forma jam per se satis demonstratur, non levi momento graduum distinctionem a scriptore esse æstimatam, sed eorum varietatem pro signo aliquo atque argumento habitam, quo ipso major minorve Mortis atrocitas proderetur. — Itaque quum hæc quoque explanatio nobis non satisfaciat, si aliam fortasse invenire possimus, videndum est : eaque in promtu jam est et ultro objicitur, ut sane mirandum videatur, nemini adhuc eam in mentem occurrisse. Receptum enim erat usu loquendi, gradum secundum naturalem vocabuli notionem dicere statum pugnantium; unde tritissima illa : stare in gradu, pugnare de gradu, movere, pellere, dejicere aliquem gradu. Hæc autem est vocis vis, qua adhibita aptissime et unice vere locus explicetur. Manet Mortis imago viva personæ specie; neque præsentem tantum ac ingredientem eam nobis ob oculos ponit poeta, sed magis etiam eminentem et ut hostem quendam infestis quasi telis paratum ad procurrendum et impugnandum, qualem fere finxit Od. III. 2. 14 sq. »Mors et fugacem persequitur »virum, Nec parcit imbellis juventæ Poplitibus timidove tergo,« et eodem, quo Porphyrionem induxit, modo Od. III. 4. 54. »minaci Porphyrion statu.« Ita demum, si quid video, omnia bene se habent; neque verba »quem Mortis timuit gradum« justo sensu sunt destituta, et gradationem legimus, scriptoris consilio quam maxime accomodatam, in qua simul vocabuli timuit iteratio suam vim tenet atque venustatem. Præterea hoc modo gravem poeta effugit vituperationem, quod eadem imagine in eodem carmine bis usus sit, quum infra v. 33. iterum inveniatur : »Tarda necessitas Leti corripuit gradum.« Jam etsi non sumus usque eo difficiles et fastidiosi, ut voce aliqua plus quam semel in carmine usurpata vehementer offendamur, talis interea ejusdem cogitationis repetitio, qualem hic haberemus, eam arguit ingenii imbecillitatem et inscitiam, quæ in bonum scriptorem neminem, ne dicam in Horatium, cadere possit.

---

## II. *Od. I.* 3. 18. — Qui siccis oculis monstra natantia etc.

Quum in versu præcedente occulta interpretum aciem difficultos effugisset, in hunc contra versum quasi certamine aliquo frequens doctorum globus infestissime involavit : quamquam nodum, ut est in proverbio, in scirpo quæsiverunt. Ante omnes Rich. Bentlejus,



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

criticorum acerrimus, mentis sollertiam in hoc quoque loco ostendit, et vocabulo siccis, in quo offendebat, argumentis gravibus, ut videbatur, probe labefactato, suam deinde emendationem »rectis,« exquisito doctrinæ apparatu de meliore nota commendatam, in vacuam sedem immisit. Isque inter contentionem dicendi quasi æstu quodam divinitatis abreptus, tandem concludens contortius sic perorat : »Satis jam, opinor, et abunde »pervicimus, aut scripsisse »rectis oculis« Flaccum aut saltem ita debuisse : quorum al- »terum modo si negas, qui Horatius sit, omnino nescis ; sin utrumque, vereor, ne, qui »tu sis, optime sciamus.« Sed nescio quomodo, utcunque Bentleji nominis fulgor mentes præstringebat, obscura quædam veri suspicio providos semper harum verum arbitros ad relegatam turpiter vocem siccis retraxit; neque tamen explorate quisquam ac firme patrocinari ei est conatus. An forte causam bene actam esse putemus eo, quod, quum Bentlejus luculentissime demonstrasset, oculos lacrimis vacuos cogitare hoc loco, absurdum esse, renitentium aliquis excusando magis quam refellendo monuerit, »apud veteres »sæpe fletum iis tribui, quibus nos vel alia perturbationis animi signa vel silentium ac »stuporem tribueremus.« v. Orelli. ? Verum mittamus pueriles ejusmodi et aniles ineptias, ingenueque fateamur, nisi melioribus ista vox rationibus defendi possit, desperatam eam merito habendam atque ex hoc carmine tanquam maculam esse delendam. Videor autem mihi his in tenebris lumen aliquod videre, et siccis istis oculis, qui pæne jam exaruerunt, novo contemplandi modo suum quodammodo reddere posse vigorem lætosque, ut Virgilii verbis utar, adflare honores. Quum enim vocabula *siccus* et *serenus* in sermone maxime poetico promiscua habeantur, utpote cognatione quadam naturali inter se juncta, quid impedit, quo minus et hoc loco idem sibi sumpsisse poetam statuamus, ut alterum pro altero substitueret? Sic venti modo sereni dicuntur, modo sicci, nubes modo serenæ, modo aridæ, et serenum idem valet, quod siccitas.

*V. Plaut. Merc. V.* 2. 35. — Hic Favonius *serenus* est, istic Auster imbricus.
*Lucan. IV.* 50 *sq.* — Pigro bruma gelu, *siccis* Aquilonibus hærens,
Aethere constricto pluvias in nube tenebat.
*Virg. Georg. I.* 461. — Unde *serenas* ventus agat nubes.
*Virg. Georg. III.* 19. *sq.* — Aquilo-Scythiæ hiemes atque *arida* differt — Nubila.
*Lucan. IV.* 54 *sq.* — Atque omnis proprior mergenti sidera cœlo
Aruerat tellus hiberno dura *sereno.*
*Lucan. IX.* 422. *sq.* — Arctoos raris Aquilonibus imbres
Accipit et nostris reficit sua rura *serenis.*

Porro quæ apud Plinium luna *sicca* nominatur vel sitiens, manifesto eadem est, quæ *serena.* cf. Plin. H. N. XVII. 8. »Quocunque tempore facere libeat, curandum, ut ab occasu »æquinoctiali flante vento fiat Lunaque decrescente ac *sicca.*« Ibid. XVII. 24. »Oleas et »ficos per ver tantum Luna *sitiente*, hoc est *sicca*, inseri Cato præcipit.« Ibid. XVII. 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

»Fimum miscere terræ, plurimum refert — Favonio flante ac Luna *sitiente.*« — Ergo et *siccos* oculos Horatius nove dixit, ut alia satis multa, ac paulo insolentius quidem, sed tamen, ut eruditis diluceret, idem exprimi, quod vultu sereno. Od. I. 37. 24. sq.

Ausa et jacentem visere regiam
Vultu *sereno*, fortis et asperas
Tractare serpentes.

Ceterum hoc quoque vocabulum Lucanus, quem non pauca ex Horatio imitatum esse constat, eodem sensu, uti loco et ordine sententiarum efficitur, sibi adsumspit. v. Phars. IX. 1043 sq.

— Qui duro membra senatus
Calcarat vultu, qui *sicco lumine* campos
Viderat Emathios, uni tibi, Magne, negare
Non audet gemitus.

Serenos autem oculos tanquam veracissimos et argutissimos animi intrepidi indices in loco esse commemoratos, quum per se pateat, non est, quod pluribus demonstrem.

---

**III.** *Od. I.* 4. 19. *sq.* — Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis et mox virgines tepebunt.

Vix credibile videtur, nullum adhuc exstitisse criticum, qui quantopere »*tepebunt*« istud langueat ac frigeat, senserit. Ne Bentlejo quidem, qui talia sagacissime odorari solet, hæc labes »nares corrugavit.« Interpretes quidem ejusmodi salebras non curant, et forti animo præsentique, ut consueverunt, hic quoque audacter affirmant, »tepere« significare timidiorem magisque verecundum virginum amorem : sed hanc modesti amoris vim illo vocabulo subjectam esse, neque argumentis neque exemplis idoneis demonstrant. Quodsi quis verba *tepere*, *tepescere*, *tepor*, *tepidus* etc. excusserit, is jam explorato naturali eorum ac principali sensu existimabit, ut de calore temperato et leni proprie atque per translationem de frigore quodam ac marcore generatim usurpantur, ita languidum tantum amorem iis posse definiri : id quod usu loquendi comprobatur.

*V. Ovid. de remed. amor. V.* 7. — Sæpe *tepent* alii juvenes, ego semper amavi.
*Id. Amor. II. el.* 2. 53 *sq.* — Seu *tepet*, indicium securas perdis ad aures;
Sive amat, judicio fit miser ille tuo.
*Id. de remed. amor.* 434 *sq.* — Luditis o! si quos potuerunt ista movere :
Adflarant *tepidæ* pectora vestra faces.
*Id. met. XI.* 225. — Quamvis haud *tepidos* sub pectore senserat ignes.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Huc et referendus est locus Ovidii, heroid. XI. 25 sq.

Ipsa quoque incalui, qualemque audire solebam,
Nescio quem sensi *corde tepente* deum.

qui male vulgo intelligitur, dum *cor tepens* putant esse cor calens, animum inflammatum amore; immo est cor, tunc, ad eum diem languidum. — Atque etiam, collatis locis sat multis efficitur, fuisse in consuetudine Latina, ut illis vocabulis notarent amorem vel alium quemvis animi affectum defervescentem ac refrigeratum.

*v. Ovid. Art. am. II.* 445. *sq.* — Fac timeat de te *tepidamque* recalface mentem :
Palleat indicio criminis illa sui.

*Id. de remed. amor.* 629 *sq.* — Quid juvat admonitu *tepidam* recalescere mentem?
Alter si possis, orbis habendus erit.

*Id. amor. II. eleg.* 19. v. 15. — Sic ubi vexarat *tepidosque* refoverat ignes;
Rursus erat votis comis et apta meis.

*Lucan. IV.* 284. — Paulatim cadit ira ferox mentesque *tepescunt.*

*Quint. instit. orat. VI.* 1 *med.* — Ut est longe vehementissimus hic, cum invaluit, affectus : ita, si nihil efficit, *tepet.*

Quare quum nullo modo *tepere* quadret in eum, quem tractamus, Horatii locum, sententiarum æquabilitate puellarum quoque manifestiorem aliquam postulante amoris declarationem, quæ quidem juvenum calorem fere æquet; necessitate ipsa corrupta hæc verba emendatione corrigere cogimur : mihique ergo in mentem venit, literarum mutatione perquam facili legendum esse *stupebunt.* Frequens est hujus verbi usus in amorum, maxime nascentium, enarratione locoque huic optime conveniens, quum valeat admirando defixum esse, ingenti admiratione quasi extra se rapi.

*cf. Ovid. met. IV.* 676. — Et *stupet*, et visæ correptus imagine formæ, (*Perseus.*)
Pæne suas quatere est oblitus in aere pennas.

*Propert. IV. eleg.* 4. 21 *sq.* — *Obstupuit* regis facie et regalibus armis, (*Tarpeja.*)
Interque oblitas excidit urna manus.

Gradatio simul haud ingrata emergit, si, quod fieri debet, verbum *stupebunt* confertur ac comparatur cum illo, quod antecedit : »*mirabere.*« Horatium id ipsum voluisse, docet alius locus, quo summam animi incitationem ac permotionem iisdem expressit verbis, quamquam inverso ordine, ut par erat pro diversa loci natura.

*v. Od. III.* 25. 9. *sq.* — Non secus in jugis
Exsomnis *stupet* Evias,
Hebrum prospiciens et nive candidam
Thracen et pede barbaro
Lustratam Rhodopen; ut mihi devio
Ripas et vacuum nemus
*Mirari* libet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Similiter Virgilius Aen. I.* 494 *sq.* — Hæc dum Dardanio Aeneæ *miranda* videntur,
Dum *stupet* obtutuque hæret defixus in uno.
*Martialis V. ep.* 63. 3. — *Admiror, stupeo :* nihil est perfectius illis.

---

## IV. *Od. I.* 7. 7. — Undique decerptam fronti præponere olivam.

Hæc in codicibus invenitur scriptura, quam Bentlejus libera quadam contumacia doctrinæ armis suscepit tuendam; idemque Erasmi emendationem »*Undique decerptæ frondi* »*præponere olivam*,« Lambini, Dan. Heinsii, Dacieri assensu comprobatum, argumentis refutavit, quæ, ut non omnia sint plausibilia, sententiam tamen istam a multis partibus laborare manifesto ostendunt. Itaque qui post illum Horatii opera ediderunt, fidenti animo veterem scripturam retinuerunt : verum timeo equidem, ne codicum auctoritas et nomen Bentleji male eos nimium securos reddiderint, ita ut loci naturam ac condicionem non satis dispicerent. Nam, quidquid obloquatur Bentlejus, dubium relinquitur, num ferri possit formula dicendi »fronti præponere olivam,« in Horatio præsertim, elegantissimo orationis artifice. Mirum quantum certe, quod scilicet Bentlejus negat, differunt »fronti »præponere olivam« et Propertii illud IV. 2. 46. »fronti imponere flores.« Atque etiam hæc magis quæsita et recondita Valerii Flacci III. 430. »Glaucas comis prætexere frondes »Imperat« et Senecæ Med. 70. »Præcingens roseo tempora vinculo;« quibus addere poterat Ovidii art. am. I. 223. »Euphrates præcinctus arundine frontem,« ejusdemque heroid. IV. 71. »præcincti flore capilli,« ut translationes artificiosæ, sed tamen naturales lepida quadum venustate et novitatis gratia placent. Contra quam dure inconditeque, quam monstrose et mente et verbis conceptum est istud »fronti præponere olivam!« quam sapit pinguem Musam agrestem putidamque diligentiam! Sed ut mittamus litigare de verbis, neque urgeamus, quam insulsa ac ridicula sit per se spectata sententia : Sunt, quibus unum opus est, fronti præponere olivam sive sunt, qui in eo solum sint occupati, ut coronas oleagineas capiti imponant suo; momentum! rei facit, quod sensus, qui istis verbis subest, si accurate omnia perpendeas, alienissimus a loco esse videtur. Quid enim priore carminis parte exponitur? »Alii poetæ aliam laudant urbem vel regionem. Quos inter reperiun»tur, qui id unice agant, ut Minervæ urbem celebrent et ex eo argumento undiquaque ex»hausto coronam sibi poeticam quærant. Permulti Argos et Mycenas canunt etc.« Ergo quum ubique, ut par erat et rei conveniens, nil nisi laudis materia simpliciter sit nominata, unde et quem ad finem urbis Athenarum prædicatores hoc præter ceteros augentur cumulo, quo ambitiosa eorum consilia patefiant? Num membrorum congruentia et æqualitas servatur, quum talia inserantur? Et ea, qua tanquam fundamento locus totus nititur, sententia, quantopere turbatur et obscuratur? Nonne merito quis expostulet, poetam »delphinum silvis adpinxisse, fluctibus aprum, dum variare cupiat rem prodigialiter

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

»unam?« et quod indignatus sit in bono Homero, idem ipsi accidisse, ut dormitaret? Verum quis est, qui credat, curiosissimum hunc præceptorem sic a se ipsum potuisse discedere ac deficere? Cui non subolet, hunc quoque versum vitio esse inquinatum? Itaque, ne poeta, »qui nunquam prave factis dedecorari versibus optavit, diutius ruberet, pin»gui donatus munere,« deformatum misere locum nos refecimus hunc in modum: »*Undique decerptam frondes (vel frondis) proponere olivam.*« Trium literarum parva mutatione fit hic versus omni ex parte aptissimus, quamvis duplicem primo adspectu habere videatur explicationem. Nam quum *proponi* proprio vocabulo dicerentur artis opera in publico exposita, (cf. Hor. ep. I. 264 sq. »Neque ficto In pejus vultu *pro»poni* cereus usquam Opto.« Plin. H. N. XXXV. 10. Idem Apelles perfecta opera *propo»nebat* in pergula transeuntibus.«) proclive sane erat, transferre etiam hoc verbum ad res carminibus expositas, Horatio præsertim, qui docuisset art. poet. v. 47 sq. »Dixeris »egregie, notum si callida verbum Reddiderit junctura novum.« Ergo *proponere olivam* apud poetas sonat versibus descriptam quodammodo ob oculos omnium ponere, sive, ut Ciceronis verbis rem illustrem, non modo in animis, sed etiam in oculis conspectuque omnium exponere. cf. Cic. Din. Verr. 8.; qui summus orator item ipso illo vocabulo similiter fere usus est in orat. pro Lig. 11. »Possum fortissimos viros, Sabinos, tibi proba»tissimos, totumque agrum Sabinum, florem Italiæ ac robur reipublicæ *proponere.*« Simplicior autem altera est ratio, qua *proponere olivam* ex usu verbi vulgato explicari potest, ita ut sententia illa idem valeat ac: Sunt, qui meram crepent sive clament sive sonent olivam, nihil nisi olivam loquantur. Quæ quidem interpretatio talis est, ut magis eam hic probandam dixerim, utpote quæ ad orationis tenuitatem ac nuditatem in ceteris partibus, quibus legimus *laudare, celebrare, dicere,* sit accomodatior; quamquam et exquisitior illa altera habet, quo possit placere. Jam oleam in poematis, quæ urbis Athenarum claritatem extollerent, præcipue commemorari, ejus rei causa repetenda est ex summa veneratione, qua hæc arbor Athenis colebatur. Olea enim Minervæ erat sacra, et in arce Athenarum servabatur ipsa illa, quam dea olim, quum magna ei cum Neptuno disceptatio esset de honore, uter potissimum urbi novæ nomen imponeret ejusque tutelam gereret, procreasse ferebatur v. J. H. Vossium ad Virg. Georg I. 18.; institutumque erat majorum, ut hac ex olea victoribus in certaminibus Panathenaicis coronæ necterentur. v. Meurs. Panathen. c. XV. vol. VII. Thes. Gron. Tali modo oleæ istius laudes, ut rei inprimis notatu dignæ, et proxime conjunctæ sunt cum gloria Atheniensium, et simul, quod necessario requiritur, sententia hac adjecta nova affertur materia, in qua indefessi isti buccinatores possint desudare. Ceterum quisquis miretur, miserum laceræ illius arboris habitum ac speciem non occultari potius aut adumbrari, sed de industria exprimi, is cogitet primum, rem ipsam ex veritate ductam atque effictam esse, tum, quum arboris forma minime respondere videatur cumulatissimis istis prædicationibus, in locum inferri lepidam quandam irrissionem, et plane Horatii ingenio dignam et optime convenientem in molestos istos versificatores, qui non cessarent canti-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lenam suam eandem semper insusurrare, atque »quum inceptis gravibus impares essent, »purpuream hanc, late qui splenderet, assuere pannum solerent.« Denique quod ad grammaticam attinet rationem, vix est, quod moneam dicendi formam »oliva undique decerpta »frondes« exquisitam illam esse, sed satis planam atque a poetis creberrime usurpatam, pro qua prosaica fert oratio »oliva, cui frons undique decerpta est.«

---

**V.** *Od. I.* 12. 33-36. — Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.

Bentlejus primus maculam, huic loco adspersam, et ingenii acumine, quo pollebat maximo, indagavit, et docta emendatione mederi tentavit. Neque argumenta, quibus evincit, verba »Catonis nobile letum« non esse profecta ab Horatio, ad hunc diem quisquam refellit, quamquam multa contra eum ab iis, qui post eum exstitere, interpretibus, ad defendendam scripturam veterem obstinate in pugnam procurrentibus, speciose magis declamata sunt, quam vere ac recte disputata: nam et Ph. Buttmanno, quem propter scite excogitatam ac munitam, quam iniit, explicandi viam honoris causa nominatum volo, res minus prospere cessit. Itaque quum in hac quoque causa, multum quidem jactata, sed tamen, ut videtur, adhuc integra, nostras vires periclitari decreverimus, in ipsa disputationis ingressione libet profiteri, nos quoque id poetæ sponte largiri, ut non nimis severe temporum rationibus ac quasi angustiis includatur. Veruntamen ordinis fines non laxare, sed omnino perturbare dicendus est is, qui ab antiquissimis regibus subito assiliendo quodammodo transit ad Catonem Uticensem, deinde magno virorum clarorum grege citato, quos libera olim tulit res publica, statim ad novissimos revertitur principes Cæsarem et Octavianum. Jam oleum et operam perdit Buttmannus, qui Janii opinionem arripiens, studiose adnititur, ut demonstret, Tarquinium Superbum, quem, »superbis Tarquinii fasci»bus« vult significari, et Catonem Uticensem optime componi, ut viros fortes ac strenuos ambo, famaque vitæ et rerum gestarum ambo nobilitatos, quorum alter regiam potestatem ad summum fastigium evexerit, alter communem libertatem acerrime defenderit. Non longa, puto, opus est deliberatione ad intelligendum, quam incertum civi contumacissimo vel in versu præsidium sit rex iste ferocissimus. Subtilibus ejusmodi orationis contortionibus copulare licet diversissima quæque et »serpentibus aves geminare, tigribus agnos.« Præterea credamusne fieri potuisse, ut Horatius Tarquinio isti Superbo et præconium tribueret et versibus suis mandaret? Ergo iste vel reapse vel ex populi quidem persuasione de re Romana bene meritus erat, an augendam solum suam dominationem odiosis-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

simam curaverat? Liquet, plane absurdum fore, ipsum numerari inter eos viros integerrimos, quorum beneficiis Roma et aucta est et ornata. — »At, objicit Orellius, id, ni »fallor, spectavit poeta, ut, quantum fieri posset, Catonem a Julio sidere removeret.« Callidum id mehercule ac lepidum commentum; sed vereor, ut sit probabile. Si enim Catonis nomen etiam et umbra fatalia erant Julio sideri, ne decem quidem illi versus, cum præsidio virorum fortissimorum tanquam munimentum aliquod interjecti, satis bene Cæsarem a monstro illo defensuri fuisse videntur. Neque dubitandum est, quin pro sua Horatius prudentia, si tali nescio qua sollicitudine inductus Catonem a Cæsare, quum tempore cohærerent, tam importune segregandum putasset, certissime non aliquot versibus, neque toto, quod ajunt, orbe relegasset, sed, Catonis ne mentionem ullam injiceret, omnino cavisset. Verum ut dicamus, quod sentimus, neque Cæsar, neque Horatius ii erant, qui »manes fabulas« ac umbrarum nomina meticulosi pavescerent. — Sed tamen ad arcem causæ succedamus videamusque, quomodo Bentlejus »Catonis nobile letum« oppugnet. »Quæ tanta,« inquit, »imprudentia ac vecordia poetæ, in eo carmine, quod ideo scrip»sit, ut ab Augusto et ejus domo gratiam iniret, hominem, qui et vivus et mortuus atro»cissimus Cæsarianorum adversarius habitus est, summis laudibus efferre! Quid? nonne »sciebat, Cæsarem ipsum Anticatones duos scripsisse, in quibus famam et existimationem »Catonis acerrimis probris laceravit? Nonne Brutum noverat, percussorem Cæsaris et Au»gusti hostem, Catonis generum? Num ignorabat, ipsum Augustum adversus Catonem »calamum strinxisse libro, cui titulum indidit: Rescripta Bruto de Catone? v. Suet. »Aug. c. 85. Ex his vix credibile est, qui Catonis honori quidpiam ultro dedisset, eum »tacitam offensionem frigusque Principis effugere potuisse. Certe qui Catonis letum inter »præcipua Romanæ gentis decora celebrat, eo ipso se Augusti dominatum inique ferre »veteremque rempublicam reposcere fatetur.« His igitur quid opponunt pertinaces illi Catonis Uticensis defensores? Catonem jactant adeo inter æquales eluxisse virtutibus, ut posteris etiam præstantia ejus semper in ore atque sermone fuerit. cf. Senecam de Tranq. an. c. 15. »Cato, virtutum viva imago.« Eund. de Const. c. 2. »Catonem certius exem»plar sapientis viri nobis dii immortales dederunt, quam Ulyssem et Herculem prioribus »sæculis.« Valer. Max. II. 10. 8. »Perfecta virtus effecit, ut quisquis egregium et sanctum »virum civemque significare velit, sub nomine Catonis significet.« Verissima quidem hæc omnia: sed quid ad rem? Num inde sequitur, eum necessario et hoc loco fuisse nominandum? Nonne poetæ optimo eodem jure omittere eum licuit, quo Decios, Fabios, Scipiones non commemoravit? Neque, quod Cæsar cum Augusto Catonem sive ex animo sive simulate admirati esse narrabantur, id tale fuisse puto, quo Horatius permoveretur, ut hanc viam ad conciliandam principis gratiam haberet peropportunam, si quavis occasione arrepta Augusto in os quodammodo laudaret civem, qui, ne istam unius dominationem videret, mortem cum vita sibi commutandam esse duxerat. Scimus porro, Horatium æque ac Virgilium ea fuisse ingenuitate, ut, Catonem quanti facerent, aperte præ

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

se tulerint. V. Hor. Od. II. 1. 24. Virg. Aen. VIII. 670. At suo loco ac tempore talia proponuntur, neque ubi Augustus ipse appellatur. Uterque poeta satis usu erat peritus, ut verum dicendo vitaret imprudentiæ vituperationem; quumque familiarissime uterentur Augusto, erat sane cur caverent, ne Catonis prædicatio exprobratio Augusti esse videretur. Ergo si hoc carmine Horatius Augusti favorem erat aucupaturus, id quod placuit Bentlejo, neque ab ullo interpretum infirmatum est, intelligentes ad unum omnes, rejectis vanis contradictionibus et excusationibus decernere coguntur, lectionem »Catonis nobile letum« esse damnandam. Sed in hac ipsa causæ parte, quum quæritur de mente, qua poeta carmen composuerit, Bentleji judicium mihi quidem præproperum videri fateor; quamquam nihilo secius de mea quoque sententia verba »Catonis nobile »letum« corrupta sunt habenda. Quodsi enim attente omnia perlustramus, nusquam ullum apparet vestigium turpis istius gratiæ captationis, quam alienissimam fuisse a vita et moribus Horatii aliunde satis constat. Immo sincerus, quo ardebat, patriæ amor et gratus quidam animus instigavit eum, ut Augustum talibus exornaret laudibus, quales in hoc carmine legimus. Etenim quum præclare cognitum haberet, quanta pro rerum condicione beneficia in rempublicam Romanam ab eo essent collata, quumque a tot tumultibus cladibusque continuis respirare tandem aliquando ipso Principe civitatem videret; (v. Od. IV. 15. IV. 14. IV. 2. 33—45 Carm. sæcul. 49—60. Epist. II. 1. 1—3. cf. Od. I. 21. 13—16. III. 8. 16—28. III. 14. 1—16.) quid mirum, quod ipse sibi cum universo populo persuadere cœpit, Augustum divinitus tanquam conservatorem et tutorem Romanis esse missum, uti compluribus locis effatur. v. Od. I. 2. 41 sq. III. 5. init. IV. 5. Epist. II. 1. 15—18. Ergo componere eum licebat cum almis numinibus, Jove, Minerva, Baccho, Apolline, meritoque comparare tam cum antiquis heroibus, Hercule et Ledæ filiis, quibuscum præterea eum consociat Od. III. 3. III. 14., quam cum priscis illis et illustrissimis Romanis, Romulo, Numa, Tarquinio Prisco, Regulo, Scauro, Paullo, Fabricio, Curio, Camillo, Marcello, a quibus imperii Romani gloria et magnitudo tum condita tum propagata erat. Hæc igitur dum proposita habet atque exsequitur poeta, quis, qui quidem sanæ mentis et compos, inficiabitur, Catonem Uticensem, quam fieri possit, incommodissime hic induci? An non tristis hæc anima, quam Jugurthæ ut inferias retulisse Junonem divine finxit poeta Od. III. 1., revocat quodammodo illas reipublicæ tenebras cæcasque nubes et procellas atque conficit plane gratam felicitatis, quæ tandem contigerat populo Romano, speciem? Et dominatio Augusti, utut curam ejus gerere ipsum Jovem eumque secundum a Jove regnare affirmatur v. 50 sq., quomodo exoptata et auspicata videri poterat Romanis, quum durissimis verbis magna cum offensione animorum admonerentur, quanta demum civium optimorum immaturo interitu ea esset parta? Nonne id erat, cicatrices modo obductas refricare et »ignes resuscitare, suppositos cineri »doloso?« Nunquam profecto Horatius ineptius potuit secum pugnare, neque dementius id, quod volebat efficere dicendo, comprimere ac pervertere ipse. Ergo, ut hæc conclu-



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

damus, Catonem Uticensem hoc loco cedere jubeamus necesse est; neque tamen temporum perturbatione coacti ita statuimus, quamvis foret admodum molesta, nec quod ambitione adductum aut humili metu famam ejus suppressurum fuisse Horatium suspicemur, sed carminis ipsius ratione ac conformatione edocti, quæ talis est, ut nonnisi læti ominis nomina recipiat. Et quum Horatium pro nativa, qua erat, ingenuitate et animi quadam magnitudine non ita multum laborasse sciamus, ut Augusti gratiam sibi conciliaret vel retineret: in carminibus certe pangendis, tenendum est, subactum ejus ingenium tam turpiter labi non potuisse, ut convenientiæ leges imperitissime violaret. Jam vero Bentleji emendationem »anne Curti« nemo fuit, qui ratam habuerit, et pæne dixerim, adversarios ejus omnes magis hanc repudiasse, quam argumenta, quibus vulgatam scripturam convellit: illius insolentia evidentiæ offecit horum. Mihi autem locus aliter sanandus esse videtur, labesque non in vocabulo Catonis latere, sed in iis, quae sequuntur »nobile letum« Priscus enim ille Cato Censorius, quem populi primarium fuisse virum consentiebant justi ac boni cives omnes, dignissimus erat, qui in illum electissimorum virorum numerum referretur. Et quanta Horatius quoque eum coluerit observatione, ex eo recte colligitur, quod sæpe quam honorificentissime eum citat. v. Od. II. 15. 11. III. 21. 11. Sat. I. 2. 32. Epist. II. 2. 117. Epist. ad Pis. v. 56. Quorum locorum primus id insuper habet simillimum cum eo, quem tractamus, quod ibi Cato cum Romulo nominatim et veteribus universe confertur. Mea igitur sententia est, ex verbis »nobile letum« eliciendam esse vocem, quæ in priscum Catonem proprie quadret; et proinde »nobilitatem« principalem fuisse scripturam, jam pridem conjectura sum auguratus. Occurretur fortasse nobis, ne sic quidem plane in aperto esse, uter Catonum sit intelligendus, quum nobilitas merito utrique tribuatur. Verum quum locus ac nexus orationis clamet, de prisco illo sene esse cogitandum, dubitatio, quam appellatio ista per se sola afferat, illico tollitur. Quid? quod habemus, cur ambiguitatem hanc non casu Horatio excidisse credamus, sed consulto ab eo esse quæsitam; ut occulte Catonis Uticensis memoriam simul renovaret, quum alio etiam loco idem sit secutus. Nam Epist. I. 19. 12. sq.

> Quid, si quis vultu torvo ferus et pede nudo
> Exiguæque togæ simulet textore Catonem:
> Virtutemne repræsentet moresque Catonis?

etiam nunc disceptant interpretes, uter Catonum sit ita adumbratus, neque ex verbis solis lis ea unquam poterit dijudicari. Hæc sane vera exempla sunt, quæ apud Horatium Buttmannus se invenire non potuisse narrat, (cf. scriptionem ejus *de rerum fide et tectis apud Horatium significationibus* v. Mythol. vol. I. pag. 327.) illius, quam vocant, dilogiæ, qua persona inducta ejusdem cum ea, quæ significatur, nominis est. Cujus dicendi figuræ tertium etiam exemplum in hoc carmine ipso legitur v. 34 sq. »Superbos Tarquini fasces;« quo titulo quum Tarquinius Superbus per se indicari possit, Priscum tamen Tarquinium notari supra declaravimus. Jam vero in promtu est videre, ut Romulo quietum Pompili

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

regnum, ita superbis Tarquinii fascibus nobilitatem Catonis bene opponi, quorum regiam alter dignitatem summo splendore ornaverit, liberæ alter plebi clarissimum decus atque lumen exstiterit. Præterea ex eo, quod Ausonius in joculari hujus loci imitatione Profess. VIII.

Romulum post hos prius, an Corinthi,
Anne Sperchei, pariterque nati
Atticas musas memorem Menesthei,
Grammaticorum?

versum Adonicum uno fecit vocabulo quinque syllabarum, probabiliter conficitur, id eodem modo fuisse in exemplari, quod expressit. Ceterum hic in transitu leviter attingam, magnam mihi esse opinionem, ansam ad scribendum hoc carmen Horatio dedisse laudabile Augusti consilium, quo statuas Romæ in foro suo primis quibusque Romanis curavit ponendas. v. Suet. Octav. c. 31. »Proximum a diis immortalibus honorem memoriæ »ducum præstitit, qui imperium populi Romani e minimo maximum reddidissent. Itaque et »opera cujusque manentibus titulis restituit, et statuas omnium triumphali effigie in utra»que fori sui porticu dedicavit, professus edicto, commentum id se, ut illorum velut ad »exemplar et ipse dum viveret et insequentium ætatum principes exigerentur a civibus.« cf. Lamprid. Alex. c. 28. Gell. Noct. Att. IX. 11.

---

**VI.** *Od. I.* 37. 21 *sq.* — — — — quæ generosius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe cita reparavit oras.

Hic quoque locus certamine ac quasi æstu quodam tum interpretandi tum emendandi nobilitatus est. Fuerunt olim, qui verba »latentes Classe cita reparavit oras« per miram quandam hypallagen explicarent, qua »classe oras« poeta dixisset, quum intelligi voluisset »classem oris«: sed merito castigati illi »Bentlejanæ verberibus linguæ« tam propter insulsam orationis insolentiam, quam propter sensum ineptissimum. Alii consideratiores »reparavit oras« idem valere voluerunt, quod »repetiit, requisivit,« atque ut fulcirent hanc interpretationem, locum Od. I. 31. 12. »Vina Syra reparata merce« tanquam propugnaculum aliquod objecerunt. Verum patet, toto cœlo distare has duas dicendi rationes, et »vina reparare merce« naturalem quidem esse atque ex usu verbi vulgato perspicuam, »classe reparare oras« male adfectatam et contortam valdeque obscuram; neque ex omni latinitate, quod jam Bentlejus monuit, vel unum exemplum simile afferri poterit. Quodsi quis ponat, »reparavit oras« acutius et subtilius dictum esse et hanc fere verba vim habere: »Cleopatra non alias sibi paravit, assequi studuit regiones pro iis, quas »amittendas Cæsarique relinquendas esse videbat, videlicet pro Aegypto« (v. Orelli.): vereor, ne subtiliora hæc sibi finxerit, quam vel Latina consuetudo loquendi ferat vel

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

perspicuitatis ratio. Præterea, quod est gravissimum, sententia, quæ illis verborum quasi involucris tegitur, ea est, qua Cleopatræ socordia quædam et levitas notetur potius, quam animus intrepidus describatur: quod jam est a re alienum. Itaque quum »classe reparare oras« idoneam interpretationem nullam haberet, jam Bentlejus ad emendationem descenderat; et, quod commendat, verbum »*penetravit*,« præ ceteris certe fert palmam. Sed quando ad ipsius poetæ velut normam omnia exegerimus, ne hæc quidem scriptura Horatiana videbitur. Quum enim aliud verbum nullum hoc loco desideretur aut ferri possit, quam quod sonet aufugere vel cedere, »*penetrare*« hoc est penitus intrare, ad interiora progredi, adjunctam infert supervacaneam eoque molestam notionem, qua fit, ut sententiæ congruentia disturbetur. Neque aliorum, quantum scio, prosperiores in hoc nodo expediendo conatus fuerunt. Nam »*properavit*« in eam incurrit vituperationem, ut festinationem, quæ »classe cita« satis designatur, temere urgueat. Quid ergo? si non festinanter refugit, at lente fortasse: num ita Cleopatræ firmitas ostenditur et laudatur? Minus etiam placet »*reseravit*.« Nam Cleopatram classe non aperuisse ac detexisse novas terras, incognitas ante, quid hoc ad rem? Putidus aliquis de ludo declamator aut versificator tales »projecerit ampullas,« minime poeta oratione maxime limatus et »emunctæ naris homo.« Obscuritate porro laborat »*peragravit*.« In verbis enim: Cleopatra non lustravit et obivit litora longinqua et ignota, quis est, qui virtutis Cleopatræ prædicationem inesse, statim divinet? »*Peraravit classe oras*« autem, quum quam maxima sit notionum male conjunctarum repugnantia, haud dubie respuendum est; an opinemur, eo, quod receptum erat, »arare pontum, æquor, mare,« Latine quemquam dicere potuisse »perarare oras« et has quidem »classe?« Tum ad vocabulum obsoletum »*repedavit*« recurrere, tum demum liceret, si nulla alia suppeteret via, qua ex his difficultatibus evaderemus. »*Ire paravit*« denique peccat in rerum fidem, qua Cleopatram fugæ consilium et cepisse et reapse navibus etiam aliquot emissis prætentasse docemur, sed postea rem susceptam omisisse. v. Plut. Ant. 69. Dio. LI. 6. Flor. IV. 11. Neque »*repetivit*« postremo aptum est, quod Cleopatram jam olim in latentibus illis oris versatam fuisse, cogitare absurdum est. Igitur quum ut morosis existimatoribus nulla nobis harum emendationum satisfaciat, erunt, qui interrogent, quid nos melius his proponere posse videamur? Nos vero triumphamus et gaudemus, eam invenisse emendationem, quam elegantissimo cuique probatum iri speramus. Vox enim, quam recipiendam esse censemus, »*remeavit*,« hoc est retrocessit, tum commodissima est ad locum, tum facillima ad corrigendum, ut ægre intelligatur, quomodo in tanta indagatione ea sit prætermissa. Verum, quod fieri solet in rebus humanis, ubi a vero semel deflexum est, ut omnes ante errores oboriantur, quam veritas rursus aperiatur, idem, »si parva licet componere magnis,« hic accidit Ceterum quod Horatius id sibi sumpsit, ut omitteret præpositionem »ad,« eam licentiam concessam et usurpatam esse poetis, alia exempla satis confirmant. v. Virg. Aen. XI. 793. Patrias remeabo inglorius urbes. Stat. Silv. III. 5. 12. Euboicos fessus remeare penates Auguror.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf